

duos annos continuos proxime secutoros, Quo tempore durante fuit actum inter dictas partes aliquos Januenses ad dictum locum Tane navigare non debere neque posse, sicut nec dicti Veneti facere possunt neque debent. Item fuit actum et solemniter conventum inter dictas partes dictis nominibus, quod predicta omnia et singula super quibus specialiter est provisum in presenti pace inter partes predictas penitus observentur. In omnibus autem aliis et singulis, de quibus in presenti pace non disponuntur, dicte partes pacibus veteribus stare promittunt et ipsarum continentie et tenori. Demum inter dictas partes nominibus antedictis actum fuit, ac voluerunt et ordinaverunt dicte partes nominibus, quibus supra, quod presens pax et omnia et singula in ea contenta per dictas partes et earum subditos debeant inviolabiliter observari, et aliquo modo vel casu per aliquam ipsarum partium infirmari, rumpi, vel violari non debeat, neque possit. Et se forte contigerit, quod deus avertat, quod per ipsas partes, vel alteram earum, seu gentes vel subditos alicujus ipsarum partium contra alteram partem, gentem vel subditos ejusdem fieret aliqua violentia, ingiuria, lesio, seu dampnum quovis modo, quod propterea dicta pax rumpi, infringi vel violari non debeat, neque possit, sed teneri debeat et observari modus et forma infrascripti, videlicet quod pars que diceret se offensa requirere debeat partem, per quam assereret contrafactum, quod eidem emendam faciat de illatis. Quam quidem emendam contrafaciens facere teneatur infra menses tres a die requisitionis, ex quo constiterit de dicta dampnificatione vel contrafactione, seu offensione. Quam si fecerit, bene quidem, nec propter hoc dici possit si satisfecerit, ut profertur, penam aliquam incurrisse. Si vero dictam emendam non fecerit, sicut supra, nullam excusationem debitam faciendo, tunc ad dictam emendam faciendam et penam, quam propter hoc incurrerit persolvendam parti lese, prout infra sequitur, compellatur. Et si ad dictam emendam se assereret non teneri forte pretendens hoc fecisse aliqua justa causa, vel aliter, tunc eligantur quatuor probi viri, videlicet duo a qualibet partium